



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Theologōn diaphorōn syngammata palaia kai orthodoxa**

**Gessner, Conrad**

**Tiguri, 1560**

**VD16 G 1810**

De Ignatio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72021](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72021)

Contra uerò qui Sardicæ conuenerant, primum horum damnauerunt uestianiam, deinde Athanasij accusatores dignitate priuarunt, & fidem Nicenam confirmarunt, edita fidei expositione quæ apud Athanasium, & Hilarium, & in ecclesiastica historia extat.

## DE CONCILIO CARTHAGINENSI.

Carthagine plura concilia conuocata fuerunt, hoc autem quod hic primo loco ponitur, plerique sextum Carthaginense concilium nominant. Conati sunt in hoc concilio Romani pont. Zosimus, & Bonifacius sibi asserere primatum & imperium in omnes ecclesias, & canonem quendam concilij Sardicensis pro Niceno protulerunt, uerum ipsorum dolus ab Afris episcopis deprehensus & eorum tyrannis repudiata est. Adduntur huic concilio etiam alia Afrorum concilia, quorum tempus, & locus singulis adscribitur.

## DE CONCILIO CONSTANTINOPOLITANO

in Trullo.

Constantinopoli sub Iustiniano. I. Synodus conuocata est quam Quintam Oecumenicam nominant Mena & deinde Eutychio episcopis Constantinopolitanis, Vigilio Romano, in hac Theodorus Ascidas Cæsareæ episcopus, damnatus est, & cum eo etiam alij qui Origenis praua dogmata sectabantur. Deinde sub Constantino Pogonato, anno imperij eius duodecimo, alia synodus conuocata est, quæ sexta synodus nominatur, damnata est in hac synodo Monothelitarum hæresis, qui Eutychianum errorem aliorum nomine & titulo reuocantes, unicam solummodo in Christo uoluntatem, & operationem statuiebant. Annis deinde 27 post ut Theophanes Græcus auctor docet hoc est anno secundo Iustiniani iunioris postquam is denuo in imperium restitutus est, synodus Constantinopoli conuocata est in Trullo regio Palatio. Hæc synodus à quibusdam *πρωτῆ ἐκτῆς* nominatur, propterea quod ea quæ quinta & sexta synodo decrant, suppleuerit, nam in illis synodis nulli canones editi fuerunt.

## DE CONCILIO NICENO SECUNDO.

Anno Domini 754 Constantinus Copronymus synodo Constantinopolim conuocata usum imaginum in templis damnauit, easque à templis eiecit, & hanc synodum septimam uniuersalem haberi & nominari uoluit. Verum 35 annis post hanc synodum, Ireneus uxor, post ipsius obitum cum filio Constantino aliam synodum Nicææ conuocauit per quam imagines denuo approbatæ & in templa repositæ sunt. Hæc synodus septimam, & Nicenam secundam nominant.

## DE IGNATIO.

Ignatius Antiochenæ ecclesiæ tertius post Petrum Apostolum episcopus commouente persecutione Traiano, damnatus ad bestias Romam uinctus mittitur. Cumque nauigans Smyrnam uenisset, ubi Polycarpus, auditor Ioannis episcopus erat, scripsit unam epistolam ad Ephesios, alteram ad Magnesianos, tertiam ad Trallienfes, quartam ad Romanos, & inde egrediens scripsit ad Philadelphæos, & ad Smyrnæos, & proprie ad Polycarpum, commendans illi Antiochensem ecclesiam, in qua & de euangelio quod nuper à me translatum est super persona Christi ponit testimonium, dicens: Ego uero & per resurrectionem in carne eum uidi, & credo quia sit. Et quoniam uenit ad petrum, & ad eos qui cum Petro erant, dixit eis, Ecce palpate me, & uidete quia non sum dæmonium corporale. Et statim tetigerunt eum & crediderunt. Dignum autem uidetur, quia tanti uiri fecimus mentionem, & de epistola eius quam ad Romanos scribit pauca ponere. De Syria usque ad Romam pugno ad bestias, in mari & in terra, nocte dieque ligatus cum decem Leopardis, hoc est, militibus, qui me custodiunt, quibus & cum benefeceris peiores fiunt. Iniquitas autem eorum mea doctrina est, sed non idcirco iustificatus sum. Utinam fruatur bestiis quæ mihi sunt præparata

M P R A E F A T I O .

rata, quas & oro mihi ueloces esse ad interitum, & ad supplicia, & allici ad comedendum me, ne sicut, & aliorum martyrum nō audeant corpus attingere. Quod si uenire noluerint ego uim faciam ut deuorer. Ignoscite mihi filioli quid mihi profit ego scio. Nunc incipio Christi esse discipulus, nihil de his quæ uidentur desiderans, ut Iesum Christum inueniam. Ignis, crux, bestia, confractio ossium, membrorum diuisio, & totius corporis contritio, & tota tormenta diaboli, in me ueniant, tantum ut Christo fruatur. Cumq; iam damnatus esset ad bestias, ardore patendi cum rugientes audiret leones ait, Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, ut panis mundus inueniatur. Passus est anno II Traiani. Reliquia corporis eius Antiochia iacent, extra portam Daphniticam in coemeterio. Hieronymus in Catalogo script. Eccl.

Præter epistolas septem quæ ab Hieronymo & Eusebio commemorantur, nostra ætate etiam quinque alia Ignatio adscribuntur, ad Mariam quæ in quibusdam exemplaribus Casobolita nominatur, ad Philippenses, ad Tarsenses, ad Antiochenos, & ad Heronem. Circumferuntur etiam Latinae epistolæ Ignatio inscriptæ ad Ioannem quem seniore appellat, & ad Mariam matrem domini. Quibus epistolis quid tribuendum sit lectori pio iudicandum relinquemus. Qui tamen plura de Ignatio, eiusq; doctrina, & his epistolis cognoscere desiderat, legat 10 cap. Centuriæ & nouæ ecclesiasticæ historiæ.

DE ATHENAGORA.

Quo tempore Athenagoras uixerit eius Apologia satis ostendit, quæ M. Antonino & M. Aurelio Commodo Imp. inscribitur. Ex philosopho ipsum ad Christianam fidem conuersum esse, titulus ac nomen philosophi iudicare uidetur, & hoc ipsum confirmat eximia philosophicarum rerum cognitio, quæ in eius libris apparet. Vbi uixerit, aut quando obierit, quid egerit cognoscere non potuimus quandoquidem nulla eius ab Eusebio & alijs historicis fit mentio. Legatio eius indicare uidetur ipsum aliquando à Christianis legatum missum esse ad Antoninum, quod certe factum non fuisse nisi inter fideles magni nominis fuisset: ueruntamen Legatio sua nihil assecutus est, principis enim animus odio Christianorum exasperatus apologia placari non potuit, uerum post pluuia miraculosa mutatus est.

DE AENEA GAZAEO.

Aeneas Gazaus Platonicus quando uixerit non est certum. Verisimile tamen est eum circa Zenonis & Anastasij tempora floruisse, ueluti & Rhenano uisum est. Propterea quod circa dialogi finem se uidisse magnæ Lybiæ sacerdotes ait, exectes à tyranno linguis articulata nihil oscius uerba pronunciantes. Quod supplicij genus Humerichus Vuandalarum rex, qui tunc Afris imperitabat, Homonianis inflixit. Eiusdem esse à quibusdam existimantur 24 epistolæ Græcæ quæ sub nomine Aeneæ sophistæ ab Aldo sunt impressæ.

DE CYDONIO ET HERMIA.

Quis hic Cydonius fuerit nō est certum existimo tamen esse Demetrium Cydonium, de quo sic scribit Volaterranus. Demetrius Thessalonicensis uir doctus & que ac sanctus, Græca Latinaq; facundia præditus, patria decedens Mediolanum uenit, ubi Latinis pariter & Theologiæ operam dedit. Thomæ Aquinatis libros in Græcum uertit sermonem, qui hodie in bibliotheca Vaticana cernuntur. Scripsit & contra Eunomium de diuinitate filij, postremo reuertens in Creta substitit, ubi erogatis in pauperes bonis, in quodam ibi coenobio per sanctè, citra tamen professionem uixit pariterq; defunctus est, annis ab hinc fere ducentis. Hæc ille. Tradunt præterea extare eiusdem auctoris multos libros in Bibliothecis Italiæ Contra Cabasilâ Richardi monachi librum contra Machumeticam sectam in græcam linguam translatus, qui in Latinam linguam translatus est à Bartolomæo Piceno, & unâ cum Alcorano Basileæ editus. Augustini etiam quædam ab eodem translata. Opus contra Palaman. Sermones in Pentecosten. Epistolas, Dialogos. Hermias philosophus quis